

V C
2982



h




h. 24. QK XXIV, 31.

Vc
2982

Apotheosis

SEPTEMVIRI AV.
GVSTI DVCIS
SAXONIÆ.

Auctore Iac. Typotio



Halæ Saxonum,

Typis Pauli Greberz, Anno M. D. XCVIII.


1.276






ILL^{mis} PRINCIPIBVS AC
DOMINIS D. CHRISTIANO
II, IOANNI GREGORIO, ET AVGVSTO
Ducibus Saxoniae, Landgrauis Turingiae, Marchioni-
bus Misniae &c. Dominis suis cle-
mentis.

Fac. Typotius S. P. D.

 Vm omnes hic auum vestrum in ore habeant,
& stas feris pro more laudandum ferali ora-
tione audia; ego solus tacere nolui: volui si non
dicendo, dolendo cu quouis contendere. Voluntatis mea
qua magna est; & quae exigua est, facultatis mea testi-
monium fLL. C. V. dico. In ubere dicetis re exile. At
ego praoccupavi reprehensionem, confessione debilitatis.
Et plura dicere conantem, vox defecit, moerore hausta.
Valet & in maiorum virtutes adolefcite. Anno Chri-
sti Dei & Hominis 1598. Feb. 2. Lipsiae.



Apotheosis Augusti Septem uiri & Ducis Saxoniae.

 Ratitudinem Lipsiensis Academia aut pietas-
tem verius, Principis sui Augusti memoria,
quotannis, hodierno die consulentis, ego audi-
ens, & auditam probans, in probati instituti admira-
tionem & imitationem exarsi, ita nulli civium pieta-
te in Principem cedens, uti ingenio & eloquentia ci-
vibus & inquilinis cedo facile omnibus: quod Prin-
ceps bonus non tantum suos, verum etiam alienos, sui
desiderio angat, torqueat, enecet: aut languidos vivere
cogat vitam morte, acerbiolem. Quemadmodum
igitur libitinae naeniam succinunt, & dolorem non suum
dolent: qui conditionis humanae memores, alienum fu-
nus curant, & fatum privatum, publicum ducunt, ac
cum propinquis complorant: ita & me putatote Mor-
tales, cum hoc, cui id muneris obtigit, meminisse Prin-
cipis, qui nunquam mori debuit, & vitam vivit im-
mortalem: non cum hoc certare dicendi facultate (re-
peto idem ne me invidentia compefcat) at nec hercle
ab hoc nec abs alio superari magnitudine aut vi dolo-
ris. Venit enim mihi in mentem Augusti mortis, & si

A ij mul

mul sortis Regum ac Principum, imò nostræ omnium
sortis & mortis, Mortales. Hæc non minus nos, dicet
aliquis, quàm te macerat & conficit dolore. Cedo so-
des: magis quàm me nego. Homo enim sum, Princi-
pum consuetudine non minus, quàm quivis vestrum
usus: à fortuna etiam magis quàm multi vestrum ex-
ercitus. Et non superabo mœrore, à quibus eruditione
superor? Habet præco feralis Rhetorum, ego Regum
consuetudinem: Novit me dicere melius, ego dolere gra-
vius: Affert verba, ego rem: Habet flosculos, ego fru-
gem: Ciet lachrymas, ego spargo. Simulat dolorem, ego
doleo. Doleo, ingemino idem & altum quidem, non tam
ut omnes me intelligant; quàm quod ex animo, & qui-
dem ex penetralibus animi doleam, Septemvirum im-
perij & Principem Saxonie, Mortales, mortem mortu-
um, lugubrem patriæ, funestam Germaniæ, intempesti-
uam Europæ. Et quis non doleat? rapio vos, ne dolori
succumbam, in partem doloris, quis non doleat, columnen
illud patriæ? columnam Germaniæ? basim Europæ la-
bi? jacere? abire & diffluere in cineres? Legibus pa-
triam, pace Germaniam, consilio Europam firmarat.
Tantum presidij & subsidij in uno erat viro, si tamen
virum dicere jus aut fas est, vivam virtutem. Et non
ingeminabo planctum? quoties video, cum uno viro,
omnia

omnia jacere humi neglecta atq; abiecta singularis prudentiae consilia? quibus non modò Germaniam, sed & Europam ipsam uniuersam in spem erigebat victoriæ singularis & pacis sempiternæ? Sed qui Principem ploro: uideor non Principem requirere, at querere, quæ erant Principis. Ego autem desiderio Principis lamentor, non eorum quæ erant Principis. Nam si quid horum me tangeret, quæ sunt aut Natura aut fortuna: à primo, quod aiunt, ouo repetuissem genus fœcundum Imperatorum, Regum, Principum & clarissimorum bellicorum: grauidum triumphis: & post tot secula germinans ac succrescens in stirpem nequaquam dissimilem majorum vetusta numina non nomina ex annalibus eruerem: & deteresa fuligine, collocarem in luce. Oratione percurrerem orbis terrarum plagas, quas illis aut imperio obtinuerunt, aut victoriis peragrarunt. Agnatos, cognatos & prognatos, qui rerum etiamnum potiuntur, uiriter incierem, cum ad honorem Augusti, tum ad communionem luctus. Ego autem solum Augustum (virtus id Herois, & mea reuerentia postulat, imò statera feriat ab omnibus exigunt) desidero: Solum Augustum plango: solum Augustum, quod solum ferè à uiuis expetunt mortui, laudo. Quæ homini, hominum manus struunt aut hominum, aut temporis, aut fortunæ injuria destruit.

A iij

Si

Si quid inter res humanas & caducas, stabile est ac
firmum; memoria litterarum est. Solent autem qui
pingunt aut fingunt, alia illustrare alia inumbrare.
Hinc illi pictorum & oratorum flores. Cauete vobis
Auditores candidi, fucum faciunt, & ut mulieres pa-
rum venustæ pigmentis ementiuntur venerem; ita illi
idem alio modo representant, & pro Principe porten-
tum sæpe exhibent. In me nihil est simile. Augustum
laudo non à genere; sed generoso pectore: non à maiori-
bus; sed se ipso maiore maioribus: non à fortuna; sed
animo domitore fortuna: non à potentia; sed mente
sui compote: non à viribus; sed mente superiori infe-
ris facultatibus. Ac ne à forma quidem illa plena Ma-
iestatis, & augustiori, quàm humana: humana enim
erat, & ut flos quantumvis floridus, defloruit; sed ab
anima longè formosiori, & Pulchri illius, quod tantopere
vester exosculatur Plato, viua imagine. Quæ dignis-
sima laude omni & alio laudatore cum laudo; doleo,
obruor lacrymis, nec dolorem fero; doleo Principem eo
animo, ijs animi dotibus atq; ornamentis, dicam, mor-
tuum? cuius fama semper vivit: an viuum? extincto
Principe Principum & lumine virorum omnium, aut
face potius ipsissima virtutis. Si viuum dicam, quid
ploro

ploro mortuum? Si mortuum, quid qua ad viuos perti-
nent, laudibus lachrymas misceo? Viuum dicam fa-
ma, qui vit a mortuus est: Et hac lucis vsura, prò dolor,
defunctus. Quod autem Saxonie, Germanie, Euro-
pa casum, casu Principis lugubri ac funesto simul deplo-
rarem, accidit id non arte Rhetorica aut fraude mea:
sed rerum serie ac natura. Quemadmodum enim ca-
pitis dolor latè patet, Et per omnes corporis artus latè
extenditur: ita magni Et excelsi Principis obitus, om-
nium obit regias ac casas. Nec aliunde petita laus est,
quæ ex Heroica Principis mente sine ullo tubo manat.
Fontis enim eiusdem sunt riui, quantumuis longe deri-
uentur: deriuentur modò ab eodem fonte. Sed laudis
segetem, auget communio. Nec enim id bonum modò,
quod sibi: sed verè bonum Et omnino laudabile est, quod
pluribus, Et quò pluribus, eò laudabilius bonum est. Et
laudis amplificatio intendit, veluti nervos, vim doloris.
Ac ne quis vestrum dolere me vehementius dolorè ve-
strum doleat: consoletur sese vbertate dictionis. Ego enim
prater lachrymas, suspiria, eiulatum nihil habeo, quod
pio cineri immolem. Et dum ego memet crucio, vocem
enim intercipit mæror: ille dicendo exsultet: Et hoc li-
ber ab affectu enunciet, quod inenarrabili cor
meum affectum cruciat dolore.

Ite licet.

7
2982 OK


40



X 2205940







B.I.G.

Farbkarte #13




otheosis

V c
2982

AVIRI AV.
I DVCIS
XONIÆ.

Iac. Typotio



Saxonum,

Anno M. D. XCVIII.

1.276

